8

Sequitur inicium huius peregrinationis a solo
natali vsq venecias.

Ad laudem et gloriā dn̄i nostri ihesu xpi· gloriose geni-
tricisq sue ꝑpetue virginis marie· atq totius celestis
curie· ob nostrarū salutem animarū/ nos tres subscripti
videlicet Generosus dn̄s Johannes comes de Solms
dn̄s in Mintzenberg· et ego supra memoratus Bernhar-
dus de Breydenbach camerarius atq decanus ecclesie
Magūtine· Itemq dn̄s Philippus de bicken strennuus miles· singuli
cū singulis famulis pio ducti zelo et desiderio· iam supra expresso· ve-
nimus in locū ꝑ nos deputatū et cōdictū· videlicet Oppenheym dioce-
sis Magūtinensis opidū· ipa die sancti Marci euangeliste Anno salu-
tis· Mccccl xxxiij· vnde profecti· sub quindecim dierū interuallo· vene
cias diuo munere sani et incolomes applicuimus· Inter agendū iter·
saluo vsi cōductu· vbi expedire videbatur/ maioris gratia securitatis·
Inuenimus autē ibidem plures generosos comites et barones· stren-
nuos milites· ac alios nobiles viros ·atq ecclesiasticas quasdam ꝑso-
nas· eodem quo nos animo ex diuersis xpianitatis partibus illo con-
fluxisse· ex quibus duo barones et tres milites cū suis famulis· nostre se
cōiunxerūt societati· alijs seorsum turmā facientibus singularē· Erāt
autē nomina eoꝝ qui in vna nobiscum galea fuerunt et societate· dn̄s
Maximin⁹ de Roppensteyn baro· Itē dn̄s Vernandus de mernawe
baro· Item dn̄s Caspar de bulach miles· Dn̄s Georgius marx miles·
Item dn̄s Nicolaus maior de kurt miles· Neq hoc in loco necessa-
riū visum est· viam nostrā vsq venecias· q̄ omnibus germanis suapte
nota sit profusiori stilo designare· Spaciū vero qḋ interiacet ex p̄fato
opido scꝫ Oppenheym vsq venecias· centū pene germanica cōtinet mi
liaria· nec vltra protenditur· Ibidē apud Petrū vgelheymer de franck-
fordia venecijs cōmorantem· hospicio fuimus recepti· et ab eodē legali-
ter in omnibus atq humaniter tractati· rebusq in gerendis· et p̄sertim
in cōducēda galea cōsilio suo et auxilio fideliter adiuti· Multa enim
opus est diligentia et sagacitate in cōuentione cū patrono galee· vnde
haud ab re duxi eas hic clausulas annotare· quas matura deliberatio-
ne preuia· literatorie nostre cū patrono nostro dn̄o Augustino cōtere-
ni· id est comite reni· inseruim⁹ pactioni· quo ceteri hāc eandem fortas-
sis subituri peregrinationē· hinc exemplum sumāt itidem faciendi vel
certe meliorandi.

De forma contractus cū patrono galee.

Erant enim in conuentione articuli tales inserti· q̄uos quasi
ad alios factos cursim et sub cōpendio hic enarrabo·
¶ In primis q̄ dictus patron⁹ ꝑegrinos de venecijs vsq
ad terrā sanctam id est Joppen· et inde denuo vsq venecias
ducat reducatq· ad qḋ faciendū immo et ꝓueniendū adminus ꝑ diem


TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG